

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

LXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

LXXVI.

HERMANNI ET FRIDERICI, MARCHIONUM BA-  
DENSIVM, LITERÆ DE PRAEDIO ABBATIÆ  
TENNEBAC. VENDITO.

A N N O M C C X V.

*Ex autographo Tennebacensi.*

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Nos HERMANNUS & FRIDE-  
RICUS Marchiones de Badin - - - intimamus quod cum dilectus  
fidelis noster Heinricus de Lare premium a nobis quod est juxta *Spieen-  
bach* (a) in montanis, que a vulgo dicuntur *Brechebonot*, (b) jure feo-  
dali possideret, idem premium pro certa quantitate pecunie, XIII. vide-  
licet marcharum & unius libre Brissaugensis monete recepta ab Abba-  
te Bertoldo de Tennibach & ejusdem loci fratribus nobis sponte & paci-  
fice resignavit, prece humili supplicans, ut jam dictum premium mona-  
sterio eidem traderemus jure perpetuo possidendum. Quia ergo libera-  
litas Principum circa honestas peticiones, que ad augmentum religionis  
spectare noscuntur, solet animum facilius inclinare, perpendentes uti-  
litatibus animarum quam maxime expedire ut qui soli Domino vacare  
decreverunt, rebus exterioribus adjuventur, ut per hoc licentius spiri-

(a) Bihorio distans à Thennebaco , congeries curtum.

(b) Hod. Breitebnet.

talibus vacent exercitiis - - - ad petitionem dilecti consanguinei nostri Bertoldi Abbatis de Tennibach duximus voluntati hylari annuendum. Igitur pretaxatum premium prefato monasterio cum terris, pratis, cultis & incultis - - - libere & pacifice, ita quod nec nos vel predictus miles Henricus de Lare nec aliqua in toto mundo persona advocatie vel prorsus aliquod jus contra voluntatem fratrum de Tennibach in illo fibi audeat usurpare, libenti animo damus - - volentes ut de pecunia data in precium sepe nominati predii, si nobis placuerit, a supradicto milite premium aliud ematur, quod a nobis loco predicti feodali beneficio possideat, ne venditionis predictae occasione hominis ipsius debitum servitium amittamus.

Data Id. Martii in castro *Hahperc* Anno ab incarnatione Domini M. CC. XV.



## LXXVII.

DE BERTOLDO V. ZARINGIÆ DUCE, TENNEBACENSIBUS INFESTO.

C I R C A A N N U M M C C X V I .

*Ex Cod. Tennebac. vita B. Hugonis ord. Cisterc.*

Dum piæ recordationis D. Papa Innocentius III. qui Romæ Coneilium celebravit, Apostolicæ fedi præsideret, prædictus *Dux de Zeringen* Tyrannidi suæ modum non ponens in Curia Romana non solum